

**De phimosi : theses anatomico-chirurgicae, quas, Deo juvante, & praeside
M. Sue, secundo ... / tueri conabitur Josephus Carboué.**

Contributors

Carboué, Joseph.
Sue, P. 1739-1816.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

[Paris] : Typis Michaelis Lambert, 1781.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/w2vmvtej>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

In.B. 214

D E
P H I M O S I.

T H E S E S
ANATOMICO-CHIRURGICÆ;

QUAS, DEO JUVANTE, & Praside M. SUE, secundo,
Artium & Chirurgiæ Magistro, antiquo Collegii Prapósito,
& nunc Questore, Academiæ Regiæ Chirurgicæ Consiliario, in
generali Parisiensi Prasecturâ Chirurgo ordinario, antiquo in
scholis practicis Anatomia & Chirurgia Professore, Academiarum
Monspellienfis, Rothomagenfis, Divionensis, Lugdunensis &
Burdigalensis Socio, tueri conabitur JOSEPHUS
CARBOUÉ, Auscensis, in almâ Universitate Parisiensi
Artium liberalium Magister.

Die Sabbati, 26^a Maii, anno Salutis 1781, à sesqui-secundâ
post meridiem ad septimam.


P A R I S I I S,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS;

PRO ACTU PUBLICO


ET

MAGISTERII LAUREA.



Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ
Collegii necnon Academiæ Typographi, viâ Cithareâ.

M. DCC. LXXXI



W. D. C. G. K. X. I.



D. O. M.

T H E S E S
ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

DE PHIMOSEOS curatione acturi, partes colis
externas, morbi & operationis sedem, præviâ
Anatomix face, oculis subjiciemus, aliis Penis
partibus, de quibus cuique interroganti, pro
viribus, dabitur responsio, spontè omiffis.

EX ANATOMIA.

PENIS partes externæ designantur cutis, textus cellularis, &
utriusque vasa.

Pubis atque Scroti cuti continua est Penis cutis : vasculosis com-

posita fasciculis, papillis hirsuta apparet nervosis, oblongis & rotundis, à balani basi usque ad hujus extremitatem inclinatis. Superior exquisiti sensûs gradus, quo gaudet balanus, his certè debetur papillis.

Glandem plus minus-ve investit cutis magna duplicatura, cujus extremitas in aperturam definit & *præputium* salutatur.

Internâ ex hujus superficie stillat liquor, qui, ne glandi agglutinetur, obstat. A glandulis sebaceis suppeditari hunc liquorem contendunt quidam, dùm alii in Penis cute nullas admittunt glandulas. Quidquid sit, adest certè liquor, cujus utilitas & usus in dubium revocari non possunt.

Interna præputii membrana, à balani basi ad orificium urethræ, speciem ligamenti efformat, *fræni præputii* sub nomine designati.

Textus cellularis Penis cuti subjacens alio textu multò laxior est, præcipuè in colis extremitate, oleumque tenuissimum, cum liquore lymphatico mixtum, tantùmmodò continet. Hujus lamellæ & fibræ super Penem & infrà pubis symphysem approximantur, ibique ligamentum quoddam constituunt; suâ symphyse adstrictione partes quasi suspensas tenet, ideòque *Penis suspensorium* dicitur.

Partes Penis externæ sanguinem recipiunt ab arteriâ pudendâ externâ & superiori, quæ inguinalis ramus est; propè arcum cruralem nascitur, & Penis tegumenta irrorat.

Venæ eodem gaudent nomine, & in venam hypogastricam sanguinem fundunt. Hæc ad Anatomiam sufficiant.

EX CHIRURGIA.

I.

BALANUM quando arctiùs investit præputium, morbus *Phimosis* dictus tunc adest. *Naturalis & accidentalis* Phimoseos haud incongrua divisio : à pravâ enim conformatione producitur illa, dùm hæc à causis plerumquè externis nascitur.

Phimosim benignam præcipuè pariunt præputii phlogosis & intumescencia, materiæ sebaceæ coacervatio & corruptela, pruritus, dilacerationes, rudis topicorum irritantium applicatio. &c. &c.

In infantibus recens natis præputii apertura plerumquè strictior est, quàm ut omninò denudari possit glans : hæc prava conformatio, ætate progressâ, sæpè sæpiùs evanescit (1). Quando verò, in ætate juvenili, glans præputio denudari non potest, hujus apertura circumferentiam inflammari, & Phimosim procreari rarum non est, quod in primis sponforum amplexibus nonnunquàm accidit, teste celeb. Petit (2).

In aliis infantibus non nisi difficillimè urina foràs ejicitur : in quibusdam, nullum est apertura vestigium, ità ut nullo modo mingere possint. In hoc ultimo casu, perpetui & violenti sunt infantium clamores : in præputii cavitate collecta urina tantum

(1) Vid. Petit, *Œuvres Posth.* Tom. II. p. 423.

(2) Loc. superiùs cit.

efformat tumorem; ut Penis & Scrotum vix appareant; qui quidem tumor rotundus est, levigatus, albus, tactuique resistit.

Viri, quibus à naturâ vix aperitur præputium, morbo non minùs sordido quàm tenaci obnoxii sunt. Matetia sebacea, à glandulis coronam glandis ambientibus expressa, sub præputio coacervatur, acescit, & ansam præbet pruritui, inflammationi, atque etiam materiæ effluvio, ab eâ quæ in gonorrhœâ per urethram fluit haud absimilis. Cui quidem vitio si indormiat æger vel Chirurgus, funestissima inde enascitur præputii cum glande adhærentia, ut exempla refert celeb. Petit (1).

Phimosim aliquandò procreat hydrops, ut jam observavit Ant. Sauvage (2). Idem refert ophtalmias sanari se vidisse, superveniente Phimosi.

I I.

MALIGNÆ Phimoseos causæ recensentur, omnia vitia quibus inquinatur sanguis. Phimosim plerumquè procreant ulcuscula cancrofa, quæ ipsum præputium, & præcipuè hujus aperturæ margines, vel glandis coronam, aut ipsum frænulum aliquandò rodunt. Celeb. Astruc fides si habeatur, existit adhuc post morbos venereos inveterata Phimosis, quod sic narrat: » Contingit ali-
» quandò in viris, quibus extumuit balanus aut præputium ab
» ulcusculis, & qui ideò Phimosim vel Paraphimosim experti
» sunt, ut curatis ulcusculis, imò etiam exterminato morbi se-
» minio, usu mercurialium unctionum, Phimosis tamen aut
» Paraphimosis habitualis remaneat, undè constrictum præputium

(1) Lib. jam cit. p. 424 & seq.

(2) Nosol. Tom. I. p. 192.

» deduci, aut corrugatum adduci non potest. Hoc utrumque infor:
 » tunii genus frequens est, quoties præputii tumor & diuturnus &
 » skirrodes fuit, in quo scilicet constrictæ vel corrugatæ præ-
 » putii fibræ impactâ lymphâ turgent itâ induratâ, ut mercurii
 » efficacia eludatur (1). »

I I I.

Ex huc usque dictis, Phimoseos, tùm benignæ, tùm malignæ, facillima prognosis eruenda: non idem de curatione: differt enim pro diversâ Phimoseos specie, & potest dividi in *generalem & particularem*.

Venarum sectiones, diætâ tenuis primum in auxilium vocentur: medicamenta deindè superduntur emollientia cum anodinis, præsertim cum lacte calido. Lotiones, injectiones, fomentationes, cataplasmata, balnea etiam Penis adhibeantur, remediis anti-venereis prioribus additis, si sub præputio adsit pudendorum caries.

Ingravescentibus accidentibus, medicamentis operatio tutior: quæ ut perficiatur, alia aliis, pro Phimoseos specie, anteponenda encheirisis. Quo majori furore sæviunt accidentia, eo majori arcenda celeritate: tardior si requiratur salus in Chirurghi peritâ manu, stranguria, inflammatio ingens & sphacelus non rarò Penem invadunt, & in imminente vitæ periculo versatur æger.

I V.

SIMPLICISSIMA est operatio, quandò simplex est morbus, id est, quandò in præputii constrictione consistit omne vitium, ut in

(1) Astruc. De Morbo Vener. Lib. IV. Cap. X.

congenitâ Phimosi , si quidem tunc præputium incidere sufficiat. Sed certus operationis locus, de quo dissentiunt auctores, primum determinandus : alii in parte superiori, alii in parte laterali incisionem fieri volunt, vasorum sectio ut præcaveatur. Hæc verò sectio nullo modo periculosa, si quidem hæmorrhagia, si quæ esset, deligato decenter vulnere, facile compesceretur, & sanguinis evacuatio tunc, nedum funesta, salutifera esse potest. *Celeb. Petit* contendit, & quidem jure ac meritò, incisionem in parte præputii superiore, id-est, versùs balani mediam partem, tutissimam & utilissimam esse. Hæc suæ sententiæ indubia argumenta profert (1). 1°. Quia duo incisionis segmenta æqualia sunt, undè faciliùs denudatur glans, & quidem omninò his segmentis à se invicem discissis, quod non obtinetur per incisionem in parte laterali, cùm magnum & parvum adsint segmenta. 2°. Quia deformis est incisio lateralis, Penisque usui nocet, undè ad novas operationes post sanationem recurrendum; indè sequitur quantum utile sit unicam celebrare incisionem, in parte præputii mediâ. Sunt tamen casus, rari quidem, in quibus huic generali præcepto obtemperare non potest Chirurgus, quod in operationibus brevi depingendis demonstrabimus.

Modò faciliùs, modò difficiliùs balanum inter & præputium intromittitur scalpellum. Si enim angustissima sit cutis apertura, stylum tenuissimum primò introducendum, eoque duce specillum sulcatum propellitur. Stylo tunc abstracto, specilli scissurâ viam monstrante, usque ad glandis coronam dirigitur scalpellum rectum, & unâ vice, si fieri possit, quidquid amplectitur illud, secatur. Cum autem una incisio non nisi rarissimè sufficiat, ad hanc perficiendam, scalpelli apex cerato fragmento instructa, & ovi albumine tincta, usque ad locum ubi

(1) Loc. jam cit.

Definere debet incisio, in plano introducitur: deinde ita invertitur ut dorsum instrumenti glandem & acies præputium respiciant: tunc fursùm propellitur apex, & quod incidendum supererat inciditur. Cutem verò præputii versùs abdomen priùs removere maximi est momenti: perfectum enim operationis successum constituit cutis & membranæ præputii internæ æqualis sectio, quod solâ utriusque versùs pubem retractione obtinetur, dùm oppositâ retractione oppositus sequeretur effectus, parsque corporis cavernosi denudaretur (1). Neque stylo, neque specillo opus est, quandò adeò angusta non est præputii apertura: incisio tunc solo scalpello, modo descripto, fit.

V.

PARTIUM quandoquæ cohæsiō adhibendæ officit methodo. Quæcumque sit cohæsiōnis species, operatione solvenda. Maximum verò laborem à Chirurgo, maximam ab ægro virtutem tunc exigit operatio, præcipuè quandò duræ adsunt adhærentiæ. hæ dilaceratione separandæ, si fieri possit; si verò renitantur, partes scalpello paulatim & cautissimè scindendæ: nonnunquam tamen læditur glans, undè gravis hæmorrhagia difficillimè compescenda; nihil enim ligatura tunc proficeret, cùm ab omnibus superficiei secatæ punctis manet sanguis. Lintei carpti crassum specniolum applicandum esset, aquâ multo alumine tinctâ imbutum, & per circiter dimidiam horam super glandem retentum.

Hæmorrhagia si abfuerit, linamento carpto & sicco vulnus adimplendum ab extremitate præputii usque ad glandis coronam. Splenia applicantur, & fasciolâ linteâ, pollice in latitudine & ulnâ in longitudine præditâ, & in unâ superficie emplastro

(1) Vid. *l'Encyclop.* à l'article *Phimosis*.

Norimbergensi, vel alio coopertâ, circumvolvatur apparatus.

V I.

INTER Phimoseos causas superiùs enumeravimus ulcuscula cancrofa. Si, invitâ præputii tumefactione, possit denudari balanus, ulcusculaque curari possint, operatio removenda, Phimosisque sanguinis emissionibus, quiete, diætâ, & emollientibus curanda; sic inflammatio & dolor sedantur, cedit præputii durities, evanescent sensim accidentia, & succedit ægri sanatio.

Cùm verò non potuit mitigari inflammatio, cùm præputii tumefactio nedùm minor, major contrâ facta fuerit, & dolor sicut & febris, intolerantiùs sævientes, ægrum in periculo mortis constituunt, acceleranda operatio, tanquàm unica salutis anchora; non eriam omittenda, licèt paululùm sedata fuerit inflammatio, si non possit denudari glans ad ulcuscula curanda, vel si adsint porri secandi.

Ad Phimoseos simplicis curationem, præputium in parte suâ mediâ incidendum esse, superiùs statuimus: hoc verò præceptum sequi, à Chirurgo semper non pendet, ulcerum vel porrorum pro diverso situ, & horum necessariâ denudatione, ut curentur.

Pro constrictione ipsius præputii majori minorive, diversa etiam esse debet operandi methodus. Sic quando à naturâ longius & amplius est præputium, ipsiusque margines ulceribus rigescunt, suadent viri in arte periti, omnem præputii extremitatem amputare. Hanc praxim his duobus argumentis stabiliunt: 1°. Phimosis naturalis tollitur: 2°. Avelluntur ulcuscula, & nonnunquàm ità certè sanantur ægri, ut luis venereæ extinctio necessaria non sit.

Quâcumque autem methodo fiat operatio, præputium usque ad fundum incidi semper non opus est: sufficit enim illud ad

quatuor vel quinque lineas incidi, propè membranæ internæ plicaturam, nisi profundius sæviat strangulatio, quod plerumquæ tunc tantummodò fit, quandò in plicaturâ adfunt magna ulcera vel porri ampli.

Præputii induritie si producat Phimosi, ità ut in seipsum replicari præputium, glansque denudari non possint, resolutio in curatione tentanda: emollientia primùm applicanda, deindè resolventia, quandò emollitus fuit tumor; fausto cum successu postea celebratur operatio. Si verò præputii tumor non possit emolliri, si skirrodes fiat, amputatio ejusdem celebranda, vulnusque, pro more solito, consolidandum.



quatuor vel quinquaginta linear incidi, prope membranas internas
plicatam, nisi profundius faverit strangulatio, quod plicatam
tunc tantummodo sit, quando in plicaturâ adit magna ulcera

vel porti amplii.

Præputii induritie si produeatur Phimosis, id in insipiam re-
plicari præputium, glande denudari non possit, resolutio in
curatio remedia: emollientia præputium applicanda, deinde re-
solventia, quando emollientia, sunt tumor; tunc cum successu
possit celebrari operatio. Si vero præputii tumor non possit
emolli, si stricte sit, amputatio ejusdem celebranda, vel
mure, pro more solito, consolidandum.

